

Quod

Faustum & Fortunatum esse jubeat

MICHAEL ARCHANGELUS:

Singulis

SAXONIÆ ET LUSATIÆ

ORDINIBUS,

certum è Sacris Literis

ANGELUM

assignabunt,

suæq; tandem gratulationis debitum,

NOBILISSIMO

CONSULI,

exsolvent,

SUB MODERAMINE

CHRISTIANI WEISII, RECT.

ad d. 3. Octobr. M DC XC.

fnitis in templo matutino sacris dicturi

CHRISTIANUS Richter / Luccâ Lusatus.

JOH. TOBIAS HEINRICI, Lipsiensis.

HERMAN FRIDERICUS Simer / Bernav-March.

CHRISTIANUS Randig / Zittanus.

SIGISMUND. Gottlob Hermann / Lipsiensis.

JOH. Ehrenreich VIBEGIUS, Pofon. Hung.

CHRISTOPH Gottlob de Nimptsch / Nob. Siles.

CHRISTIAN FRIDERICUS Neumann / Zittanus.



ZITTAVIÆ,

Typis Michaëlis Hartmanni.





**I**N omnibus Sacrae Scripturae paginis exhiberi Christum, nemo negabit forsan, nisi qui nesciat, ipsos Judaeos, cum de persona Christi dubitarent, fuisse monitos, ut scrutarentur τὰς γραφὰς, in quibus clarum perhiberetur de futuro Messia testimonium. Sed majori tum solatio nos perfundi cognoscimus, si pateat, in Veteri jam Testamento Christum, eadem quidem formam multis apparuisse, quam in carne postmodum fuisset ostensurus. Etsi enim, quem Patriarchae viderunt, Angeli nomine ut plurimum designari legimus: ut ex interpretibus non pauci statuunt, eos Deum non vidisse, sed angelum, qui Deum repraesentaret in corpore assumpto, & auctoritative diceretur Deus, sicut aliquis Vice-Regem vocare queat regem, *vid. Cornel. à Lapid. ad Gen. XXXII. vers. 22. seqq.*: nulla tamen adesse videtur causa, cur ab expresso verborum sensu discedamus. Quippe talia de se loquitur is Angelus, quae soli Creatori sunt propria. Hagari dicit Angelus, *Gen. XVI. 10. Multiplicabo semen tuum.* Angelus Abrahamo colloquens *Gen. XVIII.* vocatur *JEHOVA.* Quin & Angelus cum Jacobo luctatus *Gen. XXXII. 28.* inquit, *princeps fuisti cum DEO, & cum hominibus, & prevaluisti.* Observavit omnia hujus generis exempla *B. CALOV IUS, in Bibliis suis Germanicis,* eadem quidem sollicitudine, ut *DAN. V. 5. digitos quasi manus scribentis,* in impio Balsaris convivio, fuisse contendat *digitos Messiae, quos exhibuisset in assumptam ad tempus humanam formam.* Et omnino jucunda lectu sunt verba *B. GLASSII* vel quicumque alius de controversiis Theologicis superiorum temporum modesto scripto judicavit; *edit. 1662. p. m. 33. Semper approbavi, reddere sic liceat verba germanica, plerorumque Theologorum sententiam, divinae veritatis fundamento magis conformem, ac insignis animum occupat voluptas, si JESUM & Dominum meum, ut verum Deum, & constitutum universi mundi Salvatorem, in scriptis etiam Testamenti veteris quaerere, quin & certissime reperire liceat.*

Ut igitur ea voluptas nostro simul contingat auditorio, postquam Michaelis festum, in honorem divini hujus & increati Angeli celebratum, aliqua simul devotione nunc inter ista bonarum literarum pulpita recolendum est: eo spectare libet, quo nos deducere solent nobiliora Angelorum exempla passim in sacris celebrata. Nam sub autumnus hoc tempus alioqui nos tum vocato ad novum regimen *CONSULI,* tum omnibus, quorum interest florere Zittaviam, soliti sumus offerre gratulationum aliquas primitias, Quid autem vel Ange-

ge-



gelorum custodia nobilius, vel supremi Angeli gratiâ pretiosius nominari, ac concinnis juvenum sermonibus exprimi possit, nondum constat. Quamobrem, si quibus argumentis singuli suam probaturi sint pietatem, extremis velut lineis designavero; proluxæ præscriptionis vel invitationis vicem ea res videtur habitura. Certè ut Angelus foederis, & Angelus faciei dominicæ Lectores accedere jubeat cum præjudicio, h. e. in argumento laudabili, laudabilem simul esse velit industriam, vehementer optamus.

Qui primus prodibit in conspectum, septimanæ memor, quâ frequentari olim solebat *Sylva Scholastica*, Paradisum inspicere cupiet Angelicum.

Alter versis ad *Potentissimum PATRIÆ PATREM* votis, Angelum ipsi destinabit, nudo gladio armatum, *divini exercitus Principem*, quem obvium habuit Mosis successor, Israëlitarum Dux. *JOS. V. 13. seqq.* quem hodiernum agnoscat tot Heroum Successor.

POTENTEM, quippe armatum.

ADJUVANTEM, quippe venientem.

SANCTUM, quippe adorationis cultu prosequendum.

Tertius ad Illustrissimos Ejusdem MINISTROS verba directurus, MICHAEM nominabit Danieli laudatum *cap. X. 13.* qui venerat in auxilium Angelo, adversus Persiæ Principem dimicanti. Sic enim, eo monitus exemplo, Ministros describet

IN PERICULO, quod inimicum habent Angelis ausum resistere.

IN SOLATIO quod succurrit Michaëli.

IN TROPHÆO, quod victoriam is obtinet.

Quartus Nobilissimo SENATUI, Gymnasii Patronis Angelum assignabit cum Abrahamo collocutum *Genes. XVIII. 17.* quem reperimus

In consultando BENIGNUM, non enim celabat, quid esset facturus.

In agendo GLORIOSUM, voluit servari vias suas ab omnibus Patriarchæ posteris.

In benedicendo MUNIFICUM. Omnia promissa certa fore annunciat.

Quintus ipsam Zittaviam voto profecuturus ad Angelum respiciet, cuius apud Esaiam *LXIII. 9.* id legitur elogium: *Angelus faciei ejus salvavit eos, in dilectione suâ, & in indulgentiâ suâ redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos, cunctis diebus seculi.* Eminent equidem

In AUXILIO adversus pericula.

In AMORE & MISERICORDIA, cum peccaverunt.

In BENEFICIO, dum eos jubet esse securos.

FI-



Sextus Ecclesiae Ministris Dominum monstrabit in Throno sedentem  
*Esa. VI. 3.* cui cantica sua promerent *duo Seraphim sex alis instru-*  
*cti*, quasi Concionatorum Symbola, & speciatim

FIDEI, *quod duabus alis faciem velant.*

Devotæ HUMILITATIS, *quod duabus alis pedes tegunt.*

LABORIS, *quod duabus alis volant.*

Septimus Scholæ singulisq; in ea docentibus & discentibus Angelum  
producet, *Gen. XXII. 11.* Abrahamo tempestivè præsentem, post-  
quam victimæ loco jam mactandus esset filius. Ut enim ejusdem erat  
VOX: *non extendas manum super puerum;* sic Juvenes intelliguntur

In periculis constituti,

A DEO observati,

Feliciter tandem liberati.

Ultimus Novo CONSULI gratulationem præstiturus Angelum sistet  
*Gen. XXXII. 26,* cui Jacobus respondit, *Non dimittam te, nisi bene-*  
*dixeris mihi.* Nimirum cognoscimus Ideam Hominis

OCCUPATI, *cui luctandum est*

SPERANTIS, *qui suum retinet auxiliatorem.*

BENEDICTI, *cujus anima facta est salva.*

Et his quidem oratiunculis, ut scsq; vihoræ benevolentiam PATRO-  
NI, FAUTORES & AMICI svaviter indulgeant, meo meorumq;  
nomine, quâ par est officiorum promptitudine contendo.

Cæterum ut meum simul extet Symbolum, quod probetur  
STOLLIO regimen nunc aggresso, GIRISIO publicâ hac mole nuper  
liberato, HARTIGIO longinq; nostris votis ad futuri anni curam  
destinato, quin & omnibus in Nobilissimâ PATRUM CONSCRI-  
PTORUM coronâ constitutis: in mentem venit, Magistratus olim  
Græcis audivisse ποιμένες λαῶν *Pastores populorum*, styloq; sacro Cyrum  
vocari *Pastorem Dei Esa. XLIV. 28.* ac proinde præsentem ipsis  
apprecari velim Angelum, cujus *Luc. II. 10.* ad PASTORES hæc est  
vox: *Ne timeatis, annuncio Vobis gaudium magnum.* Ut enim hoc  
anno vel nihil timeant, vel timendi singulas causas feliciter superent,  
& ex adverso gratulationum varia suppetant argumenta, supremus  
Angelorum Dominus largiatur. *P. P. Dom. XIX. post Trin.*  
*M DC. XC.*

